



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Iustitiam Dei vindicatum prodesse hominibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

habet, cùm officium gubernandi mundi non à mundo, sed à se habeat. Vnde neque peccatoribus, neque mundo ipsi, ex nexu iustitiæ, ad peccata plectenda obstrictus est; sed solum sibi ipsi, cùm valde deceat ipsius iustitiæ & sanctitatem, atque ita statuerit ad suam gloriam & bonum vniuersi, reos non dimittere impunitos.

Itaq; quidquid Deus facit circa creaturas, vel est opus misericordiæ, vel iustitiæ vindicatiuæ, iuxta illud: *uniuersa via Domini misericordia & veritas*. Ab vtraq; virtute laudabilis est. Quamquam vt benignitas, ita & ipsa quoque seueritas iustitiæ in bonum nostrum redundat. Si enim nulla esset vindicta criminum meruenda, quàm pauci saluarentur? quàm rari virtutis arduum callem conscenderent? quàm proni essent ferè omnes, vt se se in cœno vitiorum volutarent? Siquidem plerique vel iam, id quod pluris foret æstimandum, minoris faciunt; & minùs curant pœnam damni, quàm sensus. Dummodo infernus non esset, & illa æterna flammæ tormenta patienda; nihili facerent cælum; & libenter carerent gaudijs illis diuinis, si possent etiam carere pœnis sensu percipiendis. Atque hoc solatium quod non habent, fingunt sibi, qui in profundum venerunt, peccatores. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, qui peccata vindicet. quid verò inde? Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Intremus scholam, in qua magister non est, quanti ibi clamores, quantæ insolentiæ? Spectemus exercitum sine disciplina militari, quæ non confusio, quæ non licentia, & immanitas? Intueamur Remp. in qua nemo suspenditur, nullus agitur in rotam, nemo capite plectitur, nullus carcerem meruit, an non ibi omnia furtis, rapinis, homicidijs sca- tent? Ita in toto mundo, si Dei vindicta deesset, virtutes exularent, vitia tenerent clauum. Plus enim apud homines valent supplicia, quàm beneficia; plus minæ, quàm promissiones, naturam corruptam & in malum prona ab adolescentia sua. Stimulo igitur timoris opus est, etiam ijs qui in virtute profecerunt, ne se tentatione vinci patiantur. Vnde & ille orauit: *Confige timore tuo carnes meas.* Sed quid mirum? *Initium sapientia timor Domini.*

II. Psal. 34. 10.

Psal. 13. 2.

Gen. 8. 21.

Psal. 130. 10.

III.

Vt hoc autem fiat confirmatius, duo in iustitia vindice con-

sideranda

Qqqq